

05

A

804





DISPUTATIO METAPHYSICA 4  
*De*  
**EXISTENTIA,**

*Quam*  
DEO benigniter adjuvante  
in Almo ad Albim Athenæo

PRÆSIDE


*Viro Amplissimo & Excellentissimo*  
DN. CHRISTIANO TRENTSCHIO,  
Logicæ & Metaphysicæ Profefs. Publ.  
celeberrimo,

*Præceptore, Patrono & Fautore*

*suo eternum colendo*  
publico examini subicit

CASPARUS SCHÖN/ex Hungar. Eperiens.  
AUTOR & RESPONDENS.

*Ad diem 3. Augusti, in Auditorio Majori,  
Horis matutinis.*



WITTEBERGÆ,

Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt,

Anno M DC LXI.



05 A 804

+



## FELICITER!



Ultra sunt quæ ducere solent mortalium animos, inter ea verò quod creaturâ rationali dignius sit, præter sapientiæ studium nihil. Magna enim & spatiosa res est Philosophia, non amans ocium nec iners negotium. Divina humanaq; æterna & caduca tractat. Verum docet, Justitiam docet, & omnem virtutum apparatus monstrat. Sed nulli ita indulget, ut tota illi contingeret. Satis felix est qui in aliquam ejus partem receptus est. Rationem vult dominari, quia multos regit, qui ratione regitur sapientissimus, ait Seneca. Et nihil est diuturnum cui non subest Ratio. Licet enim non rarò feliciter adspirare videatur, ad ultimum tamen temeritati non sufficit. Ut enim stirpe arbores, fundamento ædes fundantur; sic Ratione, universa hominum vita ducitur. Et prima hominis vis, primaq; potestas Ratio est. Hanc reatricem ponit prudens, & hanc præesse vult irrationalibus potentiis. Ut itaq; tutissime eamus, viam ab Africano Poëta Comico apud *Aul. Gell. l. 13. Noct. Attic. c. 8. stratam, pervestigabimus*. Ita enim ille:

*Usus me genuit, mater peperit memoria,*

*Σοφίαν vocant me Graji, vos sapientiam.*

Quibus insinuat, Vir sapientissimus, non sufficere sapientum libros nocturna versare manu, versare diurna. Sed huic etiam *Φύσιν καὶ ἀσκησιν* naturam & exercitium accedere debere. Quemadmodum enim & ferrum terræ infossim, vitium

A

con-

contrahit & rubigine consumitur : ita scientia non exulta crebrisq; exercitiis agitata, hebescit, & ad ultimum (ut dicitur) ictum concidit. Juxta illud:

*Solus & artifices qui facit usus erit.*

Tentabimus igitur vires, & Exercitii causa ex agro Metaphysico doctrinam de EXISTENTIA sub incudem placidam revocabimus, amicoq; τῶν συμΦιλοσοφῶντων sistemus. Notum enim plus satis est iis saltem qui res Metaphysicas levi tetigere brachio, spinosam hanc esse doctrinam & difficultatibus plurimis plexam. Ita ut non immerito conqueratur *Petrus Hurtadus de Mendoz. in Proëm. disp. Met. 8. De quibus, inquit, longam & mille difficultatibus plexam disputationem nobis dant obscuri Philosophi, ingenij specie obtenebrantes ea, quibus natura lumen affulget.* Antequam verò nodum in scirpo inquirere incipiamus DEUM nostrum gloriosum invocare jubet divinus Philosophorum Plato. Pio præcepto morem gerentes Spir. Sancti operam imploramus, ut cœlesti suâ luce mentes nostras irradiet, ne à tramite veritatis aberremus; sed eam quæramus, quæsitam inveniamus & propugnemus. Sit igitur

## SECTIO PRIOR. EXEGETICA.

§. 1. Ut Regiâ è vestigio progrediamur viâ, ordimur tractationem à Nomine. Oportet enim prius vocis ipsius usum cognoscere, à quo sæpenumero provehimur in ipsius rei perceptionem teste *Scal. Exerc. 1. sect. 1.* Quia nomina (ut cum Platone in suo *Cratylo* loquar.) sunt ἀνεπηκόη τῆς ὀσίας & quasi instrumenta ad res cognoscendas. Cui adstipulatur & ipse *Aristotel. l. 1. post. c. 1.* Vox igitur Existentiæ simplex non est, sed deducitur à Verbo Existo, quod ex Præpositione ex & sisto conflatum est, & idem notat, ac Extra sisto. *Vel ut clarius loquar quasi extra causas sisto.* Hinc Existencia dicitur quasi extra causas sistencia, eo quod res quævis per causas  
in re-

in rerum naturam producat, seu quod per eam res extra  
sibi oppositam potentiam objectivam sistatur. Videatur Ray-  
mundus Maylhar. *Summa Philos.* Tom. 4. Met. part. 3. disp. 1. s. 1.  
Svaretz. *disp. Met.* 34. B. Jac. Mart. Scharf. & alij Præprimis  
tamen Scheibl. *Met.* l. 1. c. 15. titul. 1.

2. Circa Homonymiam multiplex occurrit vocis ac-  
ceptio, quam nisi quis evolvat ut ab ambiguitatibus liber esse  
possit, de facili eidem evenire potest id, quod solet illis, qui  
in Pharmacopolio pyxidum ignari, quid pro quo arripiunt.  
Quod Philosophus simili quopiam à calculis desumpto illustra-  
vit. Notum enim est in Arithmeticis poni calculos, & pro  
diversa ratione positus alius notat ternarium, alius binarium,  
senarium, denarium, centenarium & sic porro; Jam si quis  
minus exercitatus huic numero accedit, senarium pro bina-  
rio, ternarium pro denario facile accipere potest. Ita qui  
non novit vim, & significationem nominum, ille non so-  
lum alios in errorem præcipitare, sed etiam seipsum detru-  
dere, vel ad minimum ab alio falli decipiq; potest. Errorum  
enim genetrix est Æquivocatio semper

3. Sumitur verò Existencia (1.) *Abusivè* & hanc tri-  
buunt nonnulli Enti in potentia sed frustra. Quia e. g. Rosa  
in Hyeme ut purum putum nihil est, ita etiam ejus Existen-  
tia purum putum figmentum videtur. (2.) *Famosè* pro sub-  
sistentia ultimata quomodo subsistere dicuntur supposita,  
quæ contra distinguuntur ipsis accidentibus & inhærentiæ.  
(3.) *Impropriè* pro statu & modo existendi prout res alio atq;  
alio modo dicitur existere. Sic vulgo fertur, Philosophiam  
considerari vel ratione *ῥαίας*, vel ratione *ὑπάρξεως*. Illo  
modo prout in se est vel etiam de jure esse debet, hoc modo  
verò non qualis esse debet, sed qualis de facto esse solet, prout  
scil. in hominibus existit. (4.) Nos hîc vocem EXISTENTIÆ  
*propriè* usurpamus pro ultimâ rei actualitate, quatenus Exi-  
stencia ipsius rei est ultimum complementum & in quantum  
res formaliter constituitur in esse actualis entis, ut sit aliquid  
extra nihilum in rerum natura, ut vult Thom. *quest. unica de*  
*anim.* art. 6. Svaret. *disp.* 31. Paul. Voët. & nostrates communiter.

A 3

4. Quem-

70.  
4. Quemadmodum verò conveniunt rebus nomina  
sæpe suis: ita etiam hic quod Synonymiam concernit, non in-  
convenienter à nonnullis actu entitativo indigitatur. Inter  
quos primus fuit vir multi acuminis Scotus qui Existentiã  
hoc nomine expressit 4. sent. dist. 12. qu. 1. Hunc sequuti sunt  
Svaretz. P. Voët. & nostrates Philos. Et quidem recte. Est  
enim (1.) *Actus*, quia per quod quid actu est, id est actus. Sic  
Scientia dicitur actus, quod per illam aliquis dicatur sciens.  
Jam verò per Existentiã res actu est in rerum natura; Ergo  
etiam erit actus. (2.) *Entitativus* dicitur eo quod ipsa Entitas  
rei sit quatenus actu existit extra causas. Huic opponitur po-  
tentia objectiva, sicuti actus formalis opponitur potentia sub-  
jectivæ. Uti Clar. Castanæo in Syn. dist. sub vocabulo *Actus* p.  
m. 17. videtur. Putabat Scotus res potentiam objectivã habere,  
antequam actu fiant & extra causas existant, unde postmodum  
in actum transferri, nihil impossibile indicat. Hinc propter  
hanc potentiam res habere quoq; aliquod reale diminutum  
dixit, quod voluit plus esse, quàm esse cognitum, quando-  
quidem ex ejus sententia esse cognitum, dicat ens rationis tan-  
tùm: Esse verò in potentia objectiva, dicat reale quoddam,  
diminutum licet. Et hujus vestigia sequuti sunt Franc. bon.  
spei. Videatur de Ræonis p. 2. Met. c. 3. sect. 1. Ad omne enim  
ens positivum, actualis requiritur Existentiã, & ubicunq; ea  
non est, entitas tollitur. Quia Existentiã in Metaph. solùm  
tribuitur entibus actualibus, ita ut entibus potestate non con-  
veniat, dicente Scheib. loc. superius citato. c. 15. §. 2. Ipsa enim  
Existentiã id est, quo formaliter constituitur essentia in latitu-  
dine entis positivi, uti vult Dn. D. Calov. Met. div. c. 2. porif. §.  
item Svaretz. verbis ex Capr. desumptis dis. 31. sec. 6. num. 21. di-  
fertè fatetur, vocem Existentiæ non significare conceptum in  
potentia tantùm, sed conceptum actualem. Sic enim ait loc.  
citato; *Vox Existentiæ in rigore non significat existentiã* (uti  
ajunt) *in actu signato, seu ut conceptum, & potentiã tantùm; Sed*  
*significat illam solum in actu exercito seu actualem.* Et paulo  
post annectit: *Et ad hunc finem videtur inventa vox Existen-*  
*tia, conferatur dis. 34. sec. 4. num. 14. & 15. B. Jac. Mart. l. 2.*  
part.



*part. Met. qu. 2.* Non igitur probare possumus sententiam Franc. bonæ spei *disp. Met. 1. dub. 1.* qui entis realis & possibilis unam eandemq; statuit definitionem. Ita Eustachius à *Sancto Paul. part. Metaph. disput. 1. Ant. Sengverd. ideâ Met. gen. c. 2. Job. Lalemandec. disp. Met. 1. item Ultraject. in disp. Phil. Inaug. de conceptu Entis & aliorum quos hîc omnes recensere pagina vetat.*

5. Ægidio Romano vocatur Actus objectivus *qu. 5. pag. m. 77.* eo quod res quæ per eum existit, extra potentiam objectivum collocatur. Dicitur aliis actus Metaphysicus, forsitan ideò quia cum potentia compositum Metaphysicum constituit. Et contra distinguitur ei, qui cum potentia venit in compositionem realem. ut anima corpori unita, Aristoteli dicitur *actus Physicus l. 2. de anim. c. 1. Metaph. l. 2.* & alibi passim. Atq; hæc de nomine dixisse sufficiat,

6. Ad considerationem realem accessum facientes, ultrò fatemur definitionem Existentiæ veram & accuratam dari non posse cum omnis definitio ex genere & differentia &c. constitui debeat. Jam transcendentia, hæc transcendunt sua communitate; Itaq; & definitio propriè ita dicta à nobis hîc loci non erit expectanda. Dictum verò superius est, in afferendâ vocis significatione Autores subinde variare, & non minus in imponenda definitione, vel potius descriptione in diversas partes abire. Avicen. apud Raconem *part. 2. Met. tract. 2. c. 3. sec. 2.* Existentiâ definit per accidens. Fonseca & Raconis, qui pro se etiam Thom. atq; Cajetanum citant per modum advenientem essentiæ. Alii deniq; per substantiam. Nulli tameo horum, album adjicere possumus calculum.

7. Avicenna citante Svar. *sec. 7. num. 1.* rationem addit: Quia ens accidentaliter dicitur de creaturis, & de formali significat quod eis accidit. Alii rationem reddunt, quod duratio & existentia sint idem. Nam durare nihil aliud esse videtur, quàm existere. Sed duratio est accidens rei quæ durat & propriè collocatur in prædicamento *quando.* Ergò. Verùm nos existentiam accidens prædicamentale esse, ob sequentes  
infi-

infirmamur rationes: (1.) Quia nullius substantiæ Existentiæ per accidens constitui potest, alias enim constitueretur per aliquid se posterius, quod absurdum est in Philosophiâ. (2.) Quia per se est incredibile, existentiam substantiæ esse proprium accidens, alias enim non esset esse simpliciter, sed secundum quid, quia terminaretur ad aliquod accidens. (3.) Quia Existentiæ est aliquis terminus transcendens, præscindens ab omnibus novem accidentibus imò & ipsa substantia; Existentiæ enim & in substantia & accidente est. *Uti ex Mendoz. Svaretz. & aliis superius disputavimus.* (4.) Quia hoc DEO maximè repugnat. Hoc pacto enim existentia DEI esset accidens prædicamentale quod iterum absolum est, *uti id fuse B. Scheibl. in tract. Log. c. 1. art. 2. §. 1. seqq. demonstratum dedit. It. Toletus dial. suæ in cap. de substantia & alijs.*

8. Nec etiam est accidens prædicabile. Si enim hoc, esset vel commune vel proprium. Non illud quia accidens commune provenit ab intrinseco subjecto præexistente, & ad esse vel abesse potest sine subjecti interitu: Neq; hoc, quia proprium resultat & consequitur ex re jam existente, & ideo non per se primò sit per generationem vel creationem, sed resultat ex re producta per generationem vel creationem. Deinde quia accidens prædicabile non propriam habet Existentiæ. Si igitur Existentiæ per accidens definiat, Genus strictius statuet sua specie. Philippus quidem à S. Trinitat. c. 1. rationem retulit, eò quod Philosophi Existentiæ rebus creatis contingenter convenire tribuant. Unde nemo est qui Propositionem hanc, *Paulus existit*, accidentalem esse non pronunciet. Hæc tamen magni ponderis ratio non est. Si enim propositio tantum de præsentis actualitate intelligatur, contingentem eam asserere nolim. Quia unum quodq; dum est seu dum existit necessariò existit, *uti vult Arist. de Interpret. c. 8. quem sequuntur Ocamus & Biel. dist. 38. aliq; qui in instanti nullam actionis libertatem ponunt.* Si verò Propositio hæc de prioritate aliqua naturæ, quam habet causa ipsa ante effectum, propter fluxum liberum à causâ suâ, intelligatur, con-

contingentiam ipsis ultro concedimus. Posset enim quippiam  
sisti vel etiam non *vid. Svaet. disp. Met. 19. f. 9.*

9. Quod Avicennam attinet, sententiam suam ab  
omnibus ferè Philosophis rejectam esse certum est, nam *to* Esse  
æque latè patet ac ipsum ens. *Ab esse enim dicitur ens ac nihil  
importat aliud quàm quod Est vid. Dn. D. Calov. Met. Div. part. 1.  
c. 2. p. 194.* Unde sicut ens non pertinet ad certum genus, sed  
transcendit omnia prædicamenta: Ita etiam *Esse*. Quod du-  
rationem concernit, planè negamus idem esse cum Existen-  
tia: Sed si omninò aliquid identitatis ad invicem habent, in-  
ficiamur durationem secundum rem esse Accidens; sed solum  
secundum quendam modum prædicationis aut denominatio-  
nis nostræ, qui ad distinguenda prædicamenta sufficiens  
fatis est.

10. Neq; etiam est modus adveniens essentiz uti supra  
citatus Fonseca atq; alii sibi persuasi sunt (1.) Quia res simplex  
in esse non potest constitui per modum, v. g. manus non potest  
constitui per palmam. Petrus per sessionem (2.) Quia exi-  
stentia tribuitur non tantum simplici, sed etiam composito  
Enti. Jam si Existentia modus erit, simplici Enti competere  
non potest. Ita enim simplex Ens, compositum esset ex Ente  
& modo; Quia omnis modus facit compositionem in eo,  
cujus est modus.

11. Substantia etiam esse non potest. Notum enim est,  
Existentiam in generali suo conceptu tribui etiam accidenti-  
bus. Absolum autem est dicere apud Philosophos, Acciden-  
tium Existentiam esse substantiam, cum ex infinitis acciden-  
tibus una substantia constitui non possit. Et quamvis vel  
maxime accidentia existant in substantiis, vel potius inexi-  
stant, tamen id non magis est dicendum de existentiâ quàm  
de essentiâ præcisè. Accidentia enim non destituuntur suâ  
essentia in substantiis. Licet non inficiemur, & Existentiæ  
& Essentiæ terminum in Accidentibus extrinsecum, esse sub-  
stantiam. Nobis tamen hic loci sermo de eo non est, sed de  
conceptu Existentiæ quidditativo h. e. de conceptu Formali,  
quid sc. Existentia intrinsecè sit? Ne tamen novam aliquam

B

tueri

tueri videamur opinionem, monemus hîc de Existentiâ quâvis particulari subsumi non debere. In particulari ultrò concedimus aliquam Existentiam substantiam, & aliam Accidens esse. Existentia enim & Essentia realiter seu materialiter atq; fundamentaliter cum idem sint, realem etiam differentiam non admittent. Unde in particulari Essentia & Existentia Substantiæ: Et Essentia atq; Existentia Accidentis, realiter idem erunt, de quo tamen fusius tractare ad sectionem posteriorem reservabimus; Sed sermo nobis est de Existentiâ sub communi ratione conceptâ, juxta quam omnia Existentia exiltere audacter asserimus.

12. Nos Existentiam describimus per actum, qui extra suas causas est, & in rerum natura ponitur. Vel: quo res cum actualitate sua ultimâ sistitur. *Ita statuit Excell. Dn. Preses Fautor atq; Præceptor noster suspiciendus, in Collegio privato quod ante semestre, non in exigua frequentia Auditorum pro more habuit. A cujus parte etiam stat Dn. D. Scharfius Met. exem. l. 1. Dn. D. Calov. Met. Divin. part. 1. c. 3. p. 212. item Svaretz. Paulus Voët. & alij.*

13. *Actum* dicimus Existentiam non quasi ipsi actui jam in effectu producto Existentia forinsecus imprimatur: sed quod realitas Essentiæ, quæ prius erat sub natura possibili, tota postea sit existens, & actu, seu quod potentia quæ in ipsa Essentia delitescerat, per Existentiam actuatur. Et quidem non quocunq; modo, seu ut Thomistis nonnullis visum est, citante *B. Jac. Martin. Part. Met. l. 2. sect. 3. qu. 11.* Actualitate prima; uti contra Thomam argumento evincere conantur: *Si, inquit, Existentia nihil est aliud quam ipsum actuale esse rei, idq; rectè statuitur primus cujuslibet actus non ultimus, utiq; & ipsa Existentia talis actus & actualitas erit.* Respondemus verò nos cum Svaretz. distinguendo inter actum Physicum atq; Metaphysicum. Actu Physico ipsam Existentiam utiq; etiam actum primum concedere possumus ut est forma quando cum potentia venit in compositionem realem, hic enim cum confert ad esse, sequitur operatio, quæ actus secundus rectè nuncupari potest: non verò actu Metaphysico, qui cum po-  
tencia

tentia compositum Metaphysicum constituit, ut est *Existentia*. Et hunc, in descriptione expressimus quod ultimatè sistatur & constituat in actu totam essentiam, includentem omnia prædicata essentialia. Seu ut verbis B. Martini utar, *Actum qui nostro intelligendi modo ultimo advenit Essentia in constituendâ intrinseca & actuali Entitate rei, videatur Autor laudatus loco citato.*

14. Deinde dicimus *Existentiam esse actum, qui extra suas causas est, & in rerum naturâ ponitur.* His verbis conceptum contrahentem absolutum damus. Antequam enim res existat, potentia in causis est & successivè extra eas sistitur. Quod non intelligendum quasi ante actualitatem res habeat illam potentiam in se; nam si de facto haberet vel reciperet aliquam potentiam in se; etiam haberet *Essentiam de facto*. Attributa enim actualia non sustinentur nisi in *essentia actuali*. Ens verò potentiale habere *essentiam actualem* contradictionem involvit, & est quod vulgo dicitur atramentum rubrum. Eatenus enim quia potentia est, repugnat eidem actu esse, cum actus nihil aliud sit quam id quod perficit potentiam, uti vult Dn D. Scharfius l. 2. Met. Exempl. c. 4. p. 86. Dn D. Calov. Met. Divin p. 1. c. 13. p. m. 454. Dicimus igitur potentiam illam quæ tribuitur rei possibili, secundum quam est possibilis, non esse in illa: sed est in causa, & ex hac producta existit, & in rerum natura ponitur.

15. Nec obstant objectamenta non nullorum & quidem (1.) dicentium datam descriptionem non omnibus competere rebus, perspectis enim compositis ultrò nobis concedendum erit, materiam atq; formam extra causas non esse: ratio est in promptu, quia totum est in partibus suis non extra eas. Sic enim ait B. Scharf. Met. Exempl. l. 2. ubicunq; totum est, ibi necessariò etiam sunt ejus partes v.g. totus homo est in muséo ergo etiam ejus partes. Phrasis igitur extra causas esse, ab ambiguitatibus liberanda erit & dicendum, nos hoc loco non intendere ac dicere, separatū esse à causis, uti præsens objectio intendit, sed tò extra causas esse, nobis idem est, ac vi causarum per eas productum esse, ita Scheibl. l. 1. Met. c. 15.

art. 6. Præprimis tamen *Siablius in disc. sup. tab. Meta. videre* est cuius verba adducere lubet: *Domus, inquit, quando nondum est extructa non est extra suas causas, causa enim eius sunt, ligna, lapides, calx, fabri & alia quæ ad extructionem domus requirere videntur. Cum autem jam extructa est, tunc ea extra causas suas esse dicitur.* Respondemus igitur jam ad objectionem adversariorum scilicet licet compositum non sit à partibus essentialibus, quæ causæ alicujus rei dicuntur internæ: separatum tamen est extra eas per actualem extra causas positionem, seu quod idem est: Materia atq; forma non provenit quidem à causis intrinsecè constituentibus, extra tamen eas posita sunt. Deinde probamus nostram assertionem (1.) Quia res qualibet est extra causas suas per suam actualem Essentiam, ipsa enim essentia, quæ ut possibilis est in virtute causarum, ponitur extra causas per hoc, quod redditur actualis: Sed essentia actualis est ipsa Existentiæ, ergo effectus formalis existentiæ est ponere rem extra causas. (2.) Esse extra causas est, esse in se, ut communiter docent Philosophi, nam esse in se est esse in rerum natura productum, ac proinde positum extra causas: sed esse in se est existere: ergo esse extra causas est formaliter existere. Ita sentit nobiscum contra Dn. Thumminum, *Philip. à S. Trin. part. 3. summa Philos. quest. 19.*

16. Objiciunt (2.) actionem, quæ intervenit in productione hominis esse actum talem, per quem homo extra causas sistitur. Cuicumq; itaq; competit definitio illi & definitum at actioni competit definitio Existentiæ ergo & definitum seu ipsa existentiæ. Verum enim verò respondemus ex Thoma, & Carletonio præprimis, disp. Met. 5. sec. 1. ad propositionem majorem hoc modo: Cuicumq; convenit definitio & causaliter & formaliter illi & definitum. Definitio Existentiæ si actioni tribuatur tum ei quidem competere potest causaliter & effective non verò formaliter. Existentiæ enim quando dicimus actum esse, per quem aliquid extra suas causas sistitur, intendimus fieri formaliter jam si actio subsumatur res salva erit, actio enim tantum effective producit & habet se tanquam

quam aliquod interveniens medium quo mediante res in effectum producitur. Videatur allegatus Autor loco citato.

17. Tandem etiam non obstat quod nonnulli putent descriptionem hanc angustam esse, neq; convenire omnibus entibus, puta creatis & increatis. Ipse enim Deus extra causas suas est cum causarum omnium atq; originis expers sit, nec etiam alicujus indigus unquam fuit principii, ab aeterno quippe extitit, nec aliquid ante se habuit; sed omnia ab ipso sunt tanquam fonte & origine omnium. Hinc Hilar. l. 3. de Trinit. ait: *Hoc peculiare DEI est ab aeterno esse.* Mens igitur quorundam fuit haecenus descriptionem ampliari posse, si particula *suas* omissa fuerit, ut descriptio postmodum indifferenter posita sit, & praescindat à quocunq; causarum genere. Nos, tamen putamus hanc opera supersedendum esse, si cum Clar. Scheib. & aliis Philos. distinxerimus inter  $\tau\omega$  extra causas esse, vel negative vel positive sumtum. Sic dicimus res creatas extra causas esse positive h. e. per influxum causarum introductas esse, & ab alio tanquam causa originem sumisse. DEUM verò extra causas esse negative h. e. Deus est Ens existens, quod non latet intra causas seu quod nullas habet causas. Quia DEUS ut à nemine productus est, ita à se ipso fuit ab aeterno Psal. 90.

18. Sed ajunt: Ne sic quidem datam descriptionem procedere: Sed evitantes scyllam incidimus in Charybdim. Entia enim rationis ratiocinantis, quoq; extra causas dicuntur esse negative, cum causam sui nullam agnoscere possint, verb. grat. de Pegaso recte infertur quod extra causas suas sit negative non enim in causis latet nec etiam ab aliqua potentia produci potest. Ut ut igitur sit, negare quidem non possumus Pegasum nullam agnoscere causam & esse sane extra causas negative. Sed an  $\tau\omega$  extra causas esse, sufficiat ad  $\tau\omega$  existere? ambigo profectò. Non enim pars definitionis definito tantum tribuenda est, sed conjunctim sumpta tota definitio. Probare itaq; incumbit Adversario, Pegaso, & similibus Entibus Chymericis non solum  $\tau\omega$  extra causas competere, sed etiam simul esse actu. Hic opus hic labor est. Non

B 3

itaq;



itaq; sufficit ad existentiam, extra causas positum esse, sed etiam esse simul actu. Quod posterius de Entibus Chymericis neminem facile asserturum autumo.

## SECTIO POSTERIOR, ELENCHTICA.

### Dubium Primum.

*Quest. I. An Existentia ab Essentia differat  
realiter?*

§. 1. Rectè ante omnia hic status controversiæ notandus venit. Sc. non quaritur hoc loco de Essentia & Existentia quocunq; modo spectata, sive in Deo sive in Ente consequenter ut sic. Hoc modo enim considerata Essentia ab Existentia nullo modo realiter ex natura rei differre potest. Quia Deus (1.) esset compositus ex re & re, neq; etiam independens esset; Ex partibus enim ex quibus constaret, dependentiam haberet. (2.) Quia in Deo sunt realiter omnia unum & idem. (3.) Quia Deus per Essentiam suam est & existit à se. Si igitur per Essentiam suam à semetipso existit, utiq; etiam non erit à semetipso quid diversum. De Ente verò ut sic dici nullo modo potest, quia enti ut sic, non potest tale quid attribui, quod utriq; analogatorum vel ad minimum uni repugnat. Sermo igitur nobis est de Ente creato tantum, eoq; non quatenus consideratur in statu possibili, de essentia enim possibili rectè affirmatur quod ea nullum esse reale habeat, adeoq; ab existentia distingvatur realiter negativè, *Ita vult Suarez. c. 1. sect. 2.* Sed quæstio est de Essentia actuali, quæ revera in rerum natura reperitur, an nempe in Paulo existente duæ distinctæ dentur entitates quarum una essentia altera existentia sit, uti in pariete duæ dantur entitates, ipse paries & albedo affixa. Tres hâc de re præprimis sunt opiniones. Et quidem Prima est ipsius Thomæ & omnium fere antiquorum Thomistarum qui statuunt Existentiam esse rem omninò distinctam realiter ab  
ejus



ejus Essentiã; ex hac ratione (1.) Quia prædicata essentialia conveniunt creaturæ absq; interventu causæ efficientis; propter hoc enim fuit ab æterno verum, *Homo est animal rationale*, sed existentia non convenit creaturæ nisi per causam Efficientem. Et ideò non potest creatura dici actu esse, nisi facta sit. Ergò esse creaturæ, est res distincta ab essentia ejus, si statuerenolim, unam eandemq; rem esse, & non esse per efficientem causam. (2.) Quia esse creaturam, est esse receptum in aliquo, nisi enim esset receptum, non haberet unde limitaretur. Ergò in essentia. Non enim potest excogitari aliud, in quo recipiatur, nisi statuatur unam eandemq; rem in se recipi posse. (3.) Quia existere heri aut cras, non est existere hodie. (4.) Quia in substantia composita ex materia & forma, esse est quid distinctum à materia & formâ, & natura composita ex utraq; Ergò est res distincta à tota essentia talis substantiæ. Ita vult Thomas part. 1. quæst. 3. art. 4. c. 52. contra Gentes & c. 5. de Ente & Essentia Cajetanus p. 1. q. 3. n. 4. Capreolus in 1. dist. q. 1. n. 1. Ferrarius l. 2. contra Gentes c. 25. Soncinnis 4. Metaph. qu. 12. Mollin. q. 3. art. 4. disp. 2. Albert. de Præd. Substantiæ dis. 21. q. 1. inter omnes tamen primas obtinere videtur rigorosus ille Thomista Philip. à S. Trinit. summæ Phil. part. 3. q. 12. art. 2. qui prolixè sententiam hanc Thomæ defendere conatur.

2. Secunda opinio est Scoti qui inter Essentiam & Existentiam distinctionem modalem ponit. Fundamentum vero quo nititur est (1.) Quia nulla distinctio ex natura rei inter esse & essentiam creaturæ videtur necessaria. Si autem quæ necessaria est, illa non est major quàm hæc modalis seu formalis ex natura rei. Ergo non est major asserenda, cum distinctiones non sint sine necessitate multiplicandæ (2.) Quia quod est extra essentiam rei, necesse est distingui ex natura rei, saltem formaliter ab essentia rei: Sed esse, est extra essentiam creaturæ, & videtur evidens, cum sit separabile ab ipsa. Unde hæc enuntiatio, *creatura est*, non est per se necessaria & essentialis sed saltem contingens (3.) Quia alias creatura esset suum esse & consequenter purus actus quod tamen solius Dei est, uti id probat Hilar. 16. de Trinit.

§. 3. Ter-

§. 3. Tertia opinio est illorum, qui rationis saltem faciunt discrimen inter essentiam & existentiam. Ita tenet Rod. ab Ariag. *summa Phil. disp. met. sec. 3. Franc. bonæ spei tractatu ult. disp. 3. dub. 1. Suarez. Alexand. Alensis s. 7. met. ad textum 22. Aureol. apud Capreol. in 1. distinctionum 8. q. 1. Durand. in 1. part. dist. 8. q. 2. & alii quorum sententiam & nos amplectimur. Et quidem rectè. (1.) Quia quo res constituitur extra causas suas illud est Existentia, ut patet ex descriptione Existentiæ. Sed qualibet res constituitur extra causas suas scilicet per actualitatem essentialem sive per essentiam actualem. Ergo existentia est realiter ipsa essentia (2.) Si existentia distinguitur ab essentia realiter, sequitur (a) quod existentia creata, sit actus purus, cum nihil includat potentialitatis (β) Quod per se ipsam existat cum enim nihil potentialitatis includit, non potest per alium actum existere, & sic per semetipsam existit. (γ) Quod in compositis materialibus sit duplex compositio realis substantialis, una ex materiâ & forma, alia ex esse & essentiâ: ac proinde esset compositum quoddam per accidens, quæ omnia absurda sunt.*

§. 4. Observandum probe venit nos hac vice non loqui de essentia aliqua potenciali seu abstractiva & præcise spectatâ, quæ ab ipsâ existentia tanquam non ens distinguitur: sed de actuali essentia existente. Et hæc sententiâ ita explicata modaliter ab invicem distingui nequeunt. Non enim potest res aliqua intrinsecè & formaliter constitui in ratione entis realis & actualis per aliquid distinctum ab ipsa & licet vel modus saltem sit. Quia hoc ipso, quia distinguitur unum ab alio, utrumque aliquid entitatis habet (2.) Si existentia est modus essentiæ, erit essentia præciso aut remoto hoc modo, adhuc revera aliqua res at hoc est absurdum. Sicut enim existentia facit rem aliquam revera esse rem, & extrahit eam ex nihilo, ita eadem ablata res recidit in nihilum, ea namque remota relinquitur quidem entitas aliqua possibilis & revocabilis, ea tamen absolute & pro isto statu nihil est. (3) Non etiam id statim facit modalem distinctionem, quod modus quodammodo dicitur, hoc pacto enim omnia accidentia modi  
essent

essent substantiæ, quæ tamen à substantia non distinguuntur modaliter; sed realiter uti notum est.

§. 5. Quod autoritatem attinet Thomæ ea quidem nobis oculis perspecta non est. Posito tamen Thomam ceterosque Thomistas nobis adversari, nos tamen stringere non possunt, nec sententiæ nostræ quippiam derogare. Ita rationes Scoti atque Scotistarum fallunt & falluntur. Ad Thomæ igitur rationem *Primam* respondent quidam, concedentes similes propositiones de creaturis non esse perpetuæ veritatis, sed tunc tantum incipere veras esse cum res fiunt: Et veritatem amittere cum res pereunt. Hæc tamen sententia absurda est non tantum apud veteres, verum etiam apud modernos Philosophos. Imo nec à Patribus ipsis probatur. Ita enim ait beatus *August. l. 2. de libero Arb. c. 8. tria & quatuor sunt septem, ita perpetuo verum esse, etiam si nihil sit quod numeretur.* Est igitur valde communis & recepta sententia, has propositiones esse perpetuæ veritatis, quod docet cum antiquis Arabibus *Albert. Mag. coment. l. de causis. prop. 8. & in post præd. c. 9. Sencinns 9. Met. q. 5. item Cajetanus, Ferrar. Capreol. & alii,* qui sententiam declarant & dicunt essentias quidem rerum creabilium non esse æternas, simpliciter loquendo, *uti Suarez. sec. 2. putat,* connexiones autem prædicatorum essentialium cum ipsis essentiis esse æternas. Deinde etiam distinguimus inter ipsam essentiam & veritatem essentiæ. Essentiam dicimus habere causam, non verò ejus veritatem, quia consistit rei veritas in illa necessaria connexionem, quæ de se perpetua est & causam non habet. Et hoc modo est scientia de veritatibus perpetuis ac necessariis. In ratione Thomæ *Secunda* dicitur creaturæ esse, esse receptum in aliquo, quia esse irreceptum, est esse per se subsistens. Sed respondetur dupliciter intelligi posse ~~irreceptum~~ irreceptum. Uno modo quo fit irreceptum, tam in aliquo quàm ab aliquo, & hoc modo non sequitur ex nostra sententia quod esse creaturæ sit esse irreceptum. De tali namque esse, rectè dicitur quod sit infinitum, est enim esse independens, & non participatum, sed potius constotius esse recepti, potestque singulari modo tale esse, meritò appellari ipsum esse subsistens.

C

Quia

Quia cum non sit participatum ex se, est & subsistit cum omni perfectione essendi. Alio autem modo potest dici esse irreceptum in aliquo, quamvis sit receptum ab aliquo. Et hoc modo conceditur esse creatum, posse esse irreceptum, negatur tamen inde sequi, quod statim sit illimitatum ac infinitum (1.) Nam licet sit irreceptum in subiecto tamen est subsistens per compositionem aliquam cum ipsa subsistentia, ex quo non potest colligi infinitas. Tum etiam (2.) Quia non est purus actus sed per participationem. *Tertio* dicimus aliud esse existere & aliud existere heri aut cras, sive huic vel isti tempore coexistere. Existencia in se spectata non differt realiter ab essentia sed à parte rei coincidunt. Alia verò ratio est ~~et~~ existere hoc vel illo tempore, quæ duo ab essentia realiter differunt, non secundum se, & quatenus existencia est; sed ratione complicati temporis. Considerari igitur potest, *uno verbo loquendo*, existencia in certo tempore vel *materialiter*, ut est existencia & sic non differt ab essentia vel *formaliter* & ut in tempore hoc vel illo est. Hac ratione quidem differt ab essentia ratione adsignificati temporis quod tamen nobis haud ad-versatur. *Quarto* Quod rationem ultimam Thomæ concernit ibi negamus antecedens. Esse enim hominis ex materia & forma, utique est ipsum esse compositi sc. corpus & anima in unione spectata.

§. 6. Scoti conclusiones & Scotistarum videntur quidem aliquid in recessu habere, sed ne hi quidem invenerunt, quod pueri in fabâ. Respondebimus ad singula & quidem in (1.) Conclusionem, quamvis antecedens negare non valeamus, consequentiam tamen hanc, inde sequi quam ipse nescit, nemo mihi persuaserit. Et quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt. Scotus ipse satis sibi respondet, cum asserit, distinctiones non esse multiplicandas sine necessitate. *Subsumo enim & dico*: Scotus multiplicat distinctiones sine necessitate: ubi enim distinctio aliqua rationis ratiocinatae sufficeret, aliam quandam modalem ex natura rei formaliter distinctam quaritat. Itaque talem formamus conclusionem: Ubi sufficit aliqua distinctio minor, distinctio reali atque modali, ibi distin-

distinctio major temerè investiganda non est. At in distinctione Essentiæ & Existentiæ sufficit distinctio minor scilicet ea quæ est rationis. E. modalis vel realis ei non est affingenda. *Minor* pluribus probata est in Antecedentibus, ita ut non indigeat hîc ulteriori recoctione. *Major* est manifesta E. & Conclusio. In argumento (2.) Scotistarum negamus minorem Prop. sc. Existentiæ esse extra essentiam creaturæ. Cum supra jam dictum sit, & rationibus firmissimis fulcitum, Existentiæ cum essentia identificari. Quod verò probationem attinet illa falsa est. Committitur igitur circulus, & dubium per æquè dubium probatur. Deinde exemplum adductum in antecedentibus, & quidem in responsione *prima* Thomistarum, discussum puto. Repetantur illa quæ ibi dicta sunt, res erit salva. (3.) negatur consequentia. Non enim mox sequitur, creaturam esse actum purum. Ut namque aliquid sit actus purus, requiritur ut nunquam habuerit potentiam ad non essendum. Quod de Creatura asserere falsissimum est.

### Dubium Secundum.

*Q. II. An Accidentia habeant propriam Existentiæ distinctam ab Existentiâ substantiæ?*

Quidam ex recentioribus Thomistis verisimile credunt accidentia non habere propriam existentiæ; sed in existentiâ subjecti, in quo sunt, prorsus convenire. Ita tenet Soto *primâ Phys. q. 6. Item artic. 5. c. 1. asserit* in composito Physico non esse plures existentiæ partiales proprias; sed partes existere existentiâ totius, in qua opinione aliquando fuit Bannes, sed postmodum dum adverteret sententiam suam Thomæ adversari, se ipsum retractavit, ob has rationes: (1.) Putarunt enim illi Existentiæ subjecti sufficere ut per illam existant omnia accidentia quæ illi realiter conjuncta sunt. Non est igitur cur plura esse multiplicentur in eodem subjecto (2.) Ipsa Existentiâ accidentis non est ipsa inhærentia, cum mutata inhærentia, possit accidens existentiæ retinere, neque Existentiâ accidentis est sola Essentia, nam Essentia accidentis consistit in aptitudinali inhærentia, non in actuali Existentiâ. Erit

ergo ipsa existentia accidentis, existentia subiecti (3.) Quia esse accidentis non est tam Ens, quàm Entis Ens, teste Arist. 1. 7. Met. Hinc communiter apud Philosophos axioma receptum est: *Accidentis esse est in-esse.* Quandoquidem accidens ita respicit substantiam ut ea prorsus carere non possit videatur *Dn. D. Calov. Met. div. p. 2. c. 4. porismat. 1.* Si igitur accidens non habet esse nisi quatenus participat esse sui subiecti, utique etiam à suo subiecto realiter differre nequit (4.) Ejus est esse, cujus est produci, productio enim omnis terminatur ad esse. Accidentia autem non habent distinctam productionem à productione substantiæ itaque nec existentiam. Denique accedit & hoc (5.) Quia existentia substantiæ est perfectissima, itaque propter suam eminentiam & perfectionem potest terminare non solum substantiam sed etiam accidentia.

§. 2. Sed contraria sententia verior esse videtur (1.) Quia, si existentia ab essentia, non differt realiter; Ergò etiam quævis res habebit propriam existentiam, cum nulla res sit, sive sit accidens sive substantia, quæ propriam non habeat essentiam, necessario igitur & existentiam. (2.) Quia talis est existentia rerum, qualis essentia, sive ex re, sive ratione distinguantur, proportio ipsis tamen servanda est. Sed essentia accidentalis talis est, ut natura sua pendeat à subiecto. E. Et Existentia ejus talis est, ut ab existentia subiecti naturaliter pendeat. Aut igitur dicendum erit, unam eandemque existentiam simul dependentem & independentem à subiecto esse, aut existentiam accidentium distinctam esse ab existentia substantiarum; quoniam hi modi oppositi sunt, effectus verò formales oppositi, arguunt causas formales oppositas: cum effectus formales non importent aliud quàm ipsam causam formalem ut communicatam. (3.) Quia duæ potentiaæ adæquatæ inter se realiter distinctæ respiciunt & exigunt duos actus adæquatos realiter inter se distinctos: Nam potentia est essentialiter ordinata ad actum & ita quælibet potentia adæquata distincta realiter ab alia respicit distinctum actum: Sed Essentia substantiæ & Essentia accidentium, sunt duæ potentiaæ adæquatæ realiter distinctæ & simul oppositæ, ergò respi-

respiciunt & exigunt duos actus, & quidem quolibet suum. Sc. propriam existentiam. *Ita vult Thomas ejusq; discipuli, Cajetanus prima parte q. 2. art. 28. item de Ente & Essentia cap. 7. Flandria 7. Met. q. 1. art. 5. Soncinas q. 5. Bannes 1. part. q. 3. artic. 4. dubio 5.* Non dissentiunt etiam ab hinc nostrates Philosophi qui Existentiam ab Essentia realiter distinctam esse volunt. Tandem (4.) ab *Absurdo*. Si enim accidentia existerent per Existentiam substantiæ, sequeretur, eas esse substantias. Substantia enim est ens per se subsistens, jam accidentia in tali casu per se subsisterent, Existentia enim substantialis facit esse & existere per se, uti alias communiter à Philosophis formalis ratio substantiæ, per se per subsistere & non esse in alio tanquam in subjecto exprimitur. *ita Beat. Jacob. Mart. in praelectionibus extemporaneis super Kekerm. Log. l. sec. 2. c. 7. p. 127. Item in disputationibus domest. in univ. Arist. Log. disput. 5. §. 3. p. 36. Beat. Dn. D. Scharf. in suo manual. & alij.*

§. 3. Ad argumenta igitur Adversariorum (1.) reponimus negando sufficere, esse substantiale ut per illud existant accidentia, tum quia non est illis proportionatum: cum etiam, quia nulla res potest formaliter & intrinsecè constitui actu, Ens actu (*intelligo existens,*) per Esse seu Entitatem à se distinctam. (2.) Concedimus existentiam accidentis non esse inhærentiam actualem, neq; etiam esse essentiam potentialem seu objectivè tantùm conceptam. Sed nihilominus eam esse essentiam accidentis actualem & in rerum naturam productam. (3.) Fatemur ipsimet accidens dici Entis Ens, non autem quasi in ratione Entis intrinsecè constituatur, per esse sui subjecti, sed totum suum esse habet cum quadam habitudine transcendentali ad subjectum, nam solum est ad perficiendum illud, & tale est illius esse, tamq; debile & imperfectum, ut non possit nisi in alio sustentari. Et in hoc sensu quoq; exponendum est superius allegatum axioma de accidente. Nam si intelligatur de inhærentia actuali, illa formaliter non est esse accidentis, causaliter verò potest, ita appellari, quia naturaliter loquendo, non communicatur esse accidenti nisi mediante inhærentiâ. Si verò intelligatur de inhærentia apti-

ordinari sic inesse dicitur ipsum esse accidentis. Quia illud esse tale est, ut entitas actualis per illud constituta, sit in proxima aptitudine ad inhærendum & naturaliter postulet actualem inhætionem ut esse possit. (4.) Dicimus dari quàm plurima accidentia quæ per se primariò & productione propria producuntur v. g. Illa quæ terminant mutationes accidentales uti sunt: *alteratio augmentatio &c*. Illa autem quæ com-  
producuntur cum toto, etiam suo modo terminant illam actionem productivam, quæ virtualiter est multiplex, cum habeat plures terminos, & licet accidentia sint secundarii termini & quodammodo etiam secundariò existant sc. dependenter à subjecto, per propriam Existentiam, cum eorum productio sit dependenter à subjecto, nihilominus tamen existunt. Nam generatio totius terminatur secundariò ad accidentia simul comproducta ad exigentiam totius quod illa requirit. Et propterea dicitur, quod hic, qui dat esse, dat quæ consequuntur ad esse. Hinc deniq; (5.) Videmus quid obtineant Adversarii Argumento adducto quinto. Praemissis enim his patet ad oculos, Existentiam substantialem non posse esse sufficientem & proportionatam ut accidentia per illam existant formaliter quamvis extrinsecè ab illa dependeant. Qualis igitur sit consequentia hæc ab ipsis ultimo adducto loco, *Existencia substantiæ est perfectissima & eminentissima, itaq; ob suam perfectionem & eminentiam potest terminare non solum Substantiam sed etiam Accidentia*, in propatulo est. Si namq; penitus inspiciatur argumentum hoc manifestum est sponte sua ruere. A posse enim ad esse, nulla est consequentia. Sed nunc vela juvat portumq; respicere ob chartæ atq; temporis angustiam, Quare cum DEO nostro ut initium sumimus, ita cum eo etiam finimus.

Cui sit Laus, Honor & Gloria in  
secula seculorum,

Qui





**Q**ui ex sistit mentis pretiosos ritè labores,  
Meretur hic *existere*.

Nam ut lyra nil reticens, nil qui non tendi-  
tur arcus,

Valet, latens sic littera.

*L. M. Q. F.*

*Job. Andreas Quenstedt*

*D. & P. P.*

---

**D**um, Schoen, ascendis Musarum pulpita  
*docta*

*Non malè de Studiis auguror inde tuis.*

*Hungarica gentis laudem servabis avitam,*

*Cætera si jungas dogmata cum Sophicis.*

*Ita applaud.*

*Christophorus Nottnagel/*

*P. P. h. t. Colleg. Phil.*

*Decanus.*

*Ad .*

*Aë Humanissimum,*  
D N. RESPONDENTE M,  
Amicum meum.

**H**ungarus insignis, SCHÖNORUM sanguine natus,  
Conscendit fausto pulpita nostra pede.  
Cedat opus nostris Musis feliciter istud,  
Atque det Hungarica prospera quæq; domo.

Michael Wendelerus,  
D. & P. P.

---

*Anagr.*  
CASPARUS SC(H)OEN,  
EN PARAS SUCCOS.  
**C**armine si dignus retulit dum vellera Jason,  
Non Caspare meo carmine dignus eris?  
Tu, cui Candida mens, devotus Spiritus, Artis  
Summus amor, Succos qui sine felle paras.  
En ego si sileam, tamen ultrò Mula loquetur,  
Quod maneat summæ Te, pius artis amor.  
*Prestantis. Dn. Respondenti, amico suo  
dilecto ita gratulabatur*

PRÆSES.

---

**Q**uid, SCHÖNI, me, doctetuum quid possis amicum,  
Versus, qui studii sint documenta tui?  
Nota magis nulli domus est sua, quàm mihi fervens  
Mens tua, quæ Sophiæ celsa theatra petit.  
Mox imos Physicæ tentat penetrare recessus,  
Mox Meta-per-physicos exspatiatur agros.  
Perge ita Leucoreis, SCHÖNI, invigilare Camœnis,  
Et fies Patriæ stella corusca tuæ.

*Prestantissimo ac Eruditissimo Dn. SCHÖNIO,  
amico suo multum estimato à toto qsd.*

M. Gerhardus Wichman,  
Lubecensis.

**A**' kalmár csak nyerefséget, siros praédát a' vitéz  
Éjél nappal gyűit és keres, sok esetre nemis néz  
A' ltal járván mély habokat  
S-veszedelmes sok utokat.

Te, ki nem rut nyerefséget, csak egyedül tudománt,  
Melyet ifjú indulatod és jó elméd meg kívánt,  
Kerestél nagy fáradtsággal  
S- erős álhatatossággal,

Vigadgy mostan és örvendez; mert tenéked fonyatnak  
Ékes koszorút a' Musák, és aranybul vonyatnak  
Drága gyűröt: melyet veszen  
Csak ki álhatatos leszen.

*Ekképpen jövendölvén az ő szerelmes földösének  
és jóakarójának szerencsés előmenetele  
és dicséretes munkájáért bőv jutal-  
mot szívéből kíván*

Német Uyvári Magyar Mihály.

---

**D**ie That ist lobens werth! Fahr' immer also fort:  
Apollo hat Dir schon bereitet einen Orth  
Auff seinem Delikon und dessen grünen Spizen  
Allwo der Musen-schaar beyammen pflegt zu sitzen.  
Sie sind bereitet auch zu geben Dir den Lohn  
Vor dein' gehabte Müh / als ihren werthen Sohn.  
In dem sie schon ikund Dir schöne Kränze winden/  
Dieselben umb dein Haupt zu legen und zu binden/  
Und wüntschen Dir Glück. Ich stimme mit darein:  
Derr Schön der müsse Schön und lang im Leben  
seyn /

D

Er

Er müsse Schöne Frücht' der freyen Künste haben:  
Gott mehre den Verstand / und seine Schöne Gaben.

Also wünschet seinem vertrauten Brüderlichen  
Freund / Herrn CASPAR SCHEDU  
bey herausgebung dieses seines ersten  
philosophischen Prob-stückes.

Matthias Kosner / von Dedenburg  
aus Ungarn / der N. Schrifte  
Besliffener.

---

*Eximio ac Praestantissimo Dn. SCHÖN,*

*FaVtorI Fratris Instar DILECTISSIMO.*

**E**st pulcher, pulchri retinet qui nomina; pulchrō  
*Corpore qui est, dici pulchrior ille meret:*  
*Sit nomen, corpus pulchrum, pulcherrimus ille est.*  
*Quem manet ingenij lausq; decusq; sui.*

*Hec tria dum Casparus habet, pulcherrimus annon*  
*Dicetur, pulcher pulchrior anne, simul?*

*Aliud.*

Kdy gsem twé sstastné konanj  
Zwssfi radosti uhlidal /

Dnedky toto winssowanj

Srděcně gsem powidal :

Žyw bud přiteli můg wěrný

Kuslawě milě wlasti /

Kodicum ku potěsseni /

Amen / degz Bůh zwysostj !

*Witteberge gratulabundus ponebat*

Daniel Sinapius, Thurocz.

Hung. SS. Theol. Stud.

*Quas*

QVas ille nugas dicit ociosorum:  
Cui nocte caeca pectus obfidet monstra  
Immania, ignorantia, inertia & livor:  
Has tu Socratei instar expetis mellis  
Meliora doctus, his tuam polum supra  
Mentem propellis, ut labor tuus monstrat,  
Cui superni gratiam precor Jovæ  
Ductricem & adstitricem, & optimos quosvis,  
Quos jam jam abunde habes, Remuneratores.

*Animitus Præstantissimo Domino Schœn,  
Sympatriotæ dilectissimo volebat*

Georgius Simonis, Varall.  
Hung.

Ein Adler wenn er will der Jungen Muth probieren/  
So pflegt er sie gar hoch an Phoebus Spiz zu führen/  
Und wo desselben Glanz sie unverruckt ansehen  
So seynd sie guter Art/wo nicht/so ist's gesehn.  
Derr Schön folgt dieser Prob/drumb will Er iso legen  
Die Augen des Gemüths der Weisheit selbst entgegen/  
Ob Er derselben Glanz/der mehr denn Sönen Liecht/  
Auch recht anschauen kan; wohlan! es fehlt ihm nicht.  
Nun soll Derr Schön nicht mehr hinführo unten liegen/  
Vielmehr nach Adler Art noch immer höher fliegen/  
Bis daß sein Nahme klar und überall bekandt  
Durch Tugend werd gemacht/hier und in Ungers  
Land.

Aus schuldigster Pflicht in eil setze dieses auff  
seinem werthen Freunde

Melchior Roth/von Caschau  
aus Ungarn.

**M**ost a' kertek almát, körtvélyt, és szép szőlő- botrokat  
Hoznak az ő művésének; de a' röltnek botokat  
Terem a' tilalmas erdő. Te Musáknak ágazo  
Gyönörű szép csemetéje, és ékeksen bágazo  
Gyümölcs fája, ki eddiglen ékeksen virágosztál,  
Elő-érő szép gyümölcsset s' ajándékot már hosztál!  
Kérem az Jehova Istent szépen hogy nevelkedhes,  
Hogy még erős tamasztója szegény hazánknak lehes.

Ekképpen az ő kedves Barátyának és  
kenyéresének jó indulatya fölött  
örvendezvén és minden jókat  
kivanván e' kevesset irá

Löcsei Brewer János.

יִפְרָה מְרֵאָה וּיְפֹרָה תוֹרָה  
בְּקֶרֶב מוֹעֵד חֻכְמִים  
מוֹסֵר וְחֻכְמָתוֹ תְּרֵאָה  
בְּנִעוּרָיו יֵעַן לֵאלֹהִים  
תִּכְן גַּם נָתַן עֲזָרָתוֹ  
אֵתוֹ תִּפְאָרָתוֹ גַּם שְׁבַר

*Per-Eximio & Præstantiss. Dn. Schönio  
ita gratulabatur*

Josephus Seltenreich / Cæsareop.  
Ungarus.

**F I N I S.**

05 A 804

ULB Halle 3  
003 767 353




0017

0017









DISPUTATIO METAPHYSICA <sup>4</sup>  
*De*  
**EXISTENTIA,**

*Quam*  
DEO benigniter adjuvante  
in Almo ad Albim Athenæo

*PRÆSIDE*


*VIRO Amplissimo & Excellentissimo*  
DN. CHRISTIANO TRENTSCHIO,  
Logicæ & Metaphysicæ Profefs. Publ.  
celeberrimo,

*Præceptore, Patrono & Fautore*

*suo æternum colendo*  
publico examini subicit

CASPARUS SCHÖDEN / ex Hungar. Eperiens.  
AUTOR & RESPONDENS.

*Ad diem 3. Augusti, in Auditorio Majori,*  
*Horis matutinis.*



WITTEBERGÆ,

Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt,  
*Anno M DC LXI.*